DAVIDIS IACOBI VAN LENNEP

POEMATVM

FASCICVLVS.

29937e.35

50. 1217.

29937 e. 35

Digitized by Google

Digitized by Google

DAVIDIS IACOBI VAN LENNEP

P O E M A T V M

FASCICVLVS.

Digitized by Google

DAVIDIS IACOBI VAN LENNEP

POEMATVM

FASCICVLVS.

AMSTELODAMI,
APVD IOANNEM MVELLER.
MDCCCL.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

SALVTEM.

Vt hunc Latinorum poëmatum meorum fasciculum ederem, duae maxime me impulerunt causae. Primum enim, cum in plerisque condendis aliquo functus essem pietatis officio, prospiciendum mihi censui, ut, quae vario tempore exstare volueram mei in viros optime de me meritos, in

Digitized by Google

amicos, parentes, patriam grati piique animi monumenta, uno iunctim comprehensa quamvis parvo libello melius sic ab oblivione et interitu vindicarentur, quam si relinquerem illa, ut erant, singula seorsim paucis paginis commissa, neque in lucem publicam edita. Deinde ostendere volui, me, quamvis variis et seriis occupationibus impeditum, quominus multam et adsiduam Latinae Musae operam navarem, tamen subinde id egisse, ne Musa illa, ob cuius cultum, non minus quam ob alia in bonas literas merita, insigniore fama fuerant maiores nostri, iam neglecta prorsus ab eorum posteris videretur. Quod si fortasse aliquid conferant edita mea haec carmina ad resuscitandum apud nostrates intermortuum pene eius Musae studium favoremque ei

Digitized by Google

denuo conciliandum, erit, ut de hac re maximopere mihi gratuler, qui certum habeam, non posse studium illud omnino negligi citra bonarum detrimentum literarum.

Locum in hoc fasciculo carminibus tribui secundum ordinem temporis, quo composita fuerunt. Vnum fugit me suo loco ponere, quod inscriptum legitur tabulae super focum in maiore auditorio Sodalitii, cui symbolum Felix Meritis. *Id, ne fortasse Sodalium aliquis omissum miretur et vitio mihi vertat, hic dabo.*

Est laudem meruisse parum. Iuvat usque mereri
Et meritis partum continuare decus.
Iam bene florenti studiis artesque tuenti
Lustra Sodalitio praeteriere decem.

Digitized by Google

Servetur tenor hic coeptis et saecula vincat,

Amsteliis facili rebus, ut ante, Deo.

MDCCCXXVII.

Haec habui, B. L., quae praemittenda huic libello dicerem: ceterum vale mihique favere perge. Scripsi Amstelodami d. 3 *Ianuarii* MDCCCL.

Digitized by Google

HIERONYMO DE BOSCH,

AMICO SPECTATISSIMO,

NOVAM AC PLENIOREM CARMINVM SUORVM EDITIONEM

PARANTI.

O mihi quod puero iam carum et amabile nomen,
Addidici balbo quod tener ore loqui,
Quo nullum est patrios mihi sanctius inter amicos,
Nullum, quod meritis aut sit honore prius:
Boschi, sic placidum servent mihi fata tenorem,
Et sint firma mei tot bona coniugii,
Coniugii, quo tu gavisus et ipse ligato,
Suetus ab altérius gaudia ferre bonis;

Digitized by Google

Boschi, sic maneat nobis tua dedita cura,
Quâ regum possim vincere divitias:
Te meus ut veneratur, ut unum suspicit, unum
Eximiè dignum te colit acer amor;
Vt nulla huic animo fortuna nocere, nec aetas,
Non mala supremi fax valet ipsa rogi!
Vsque tuorum in me meritorum gratia vivet.
Tu mihi cognati, tu patris instar habes.
Vix ita Phoenicem iuvenis dilexit Achilles,
Luserat in genibus cui puer ante seni.
Ille dapes parvo facilis praebebat alumno,
Ille ministrabat vina tremente manu:
Maius at his longè tibi nos debere fatemur,
Queis etiam parvis iam tua nota fides.
Tu monitis animum pascebas blandus amicis,
Et pueri noras sensibus apta loqui.

Digitized by Google

Tu mihi Pierios latices et amata benignus
Musarum e puro pocula fonte dabas.
O nitidum nitidis penetrale penatibus, o quae
Parva quidem, at magnis anteferenda domus,
Aonisin sacrata domus, Graiaeque Minervae,
Tuque superba tuis bibliotheca bonis;
Raras cuius opes teneris miratus ab annis,
Saepe tuli promptos sacra ad amica pedes:
Totque inter veterum, totque inter scripta recentum
Erravi incertâ mente manuque vagus:
Et modo Cecropias gaudebam tangere chartas,
Et modo Romanae dulcia dona lyrae.
Vel solos et erat titulos legisse voluptas,
Dum studiis lustro nomina grata meis,
Nomina, quae splendore suo praefulget Homerus,
Et regnum in placitâ vindicat aede sibi.

Digitized by Google

Boschius huic primos merito dum servat honores,
Et mihi, Maeonides sit tibi primus, ait.
Ast ego iam Sophoclemque meum, doctumque Maronem
Nomina, Maeonidae non male iuncta, notans,
Iam Flaccum, Patavîque decus, Latiumque Menandrum
Et, Cicero, eloquii tot monumenta tui,
Nescio quas moto concepi pectore flammas;
Fervida, nescio qui, venit in ora rubor.
Ipsa mihi praesens doctorum turba virorum,
Ipse mihi vatum visus adesse chorus;
Cum quibus una aderat, conventu digna priorum,
Casta verecundo Boschia Musa gradu.
Qualis aquae rivus per odori gramina campi
Dulce sub argutis consonat arboribus,
Qui numquam arescit, cui numquam deficit humor,
Cui felix latices fons agit usque novos:

Digitized by Google

Tale tuae memini carmen geniale Camenae
Saepe avidis, BOSCHI, combibere auriculis.
Illa Camena meas celebravit carmine cunas,
Omina natali fausta precata die.
Illa mihi infirmae conamina prima iuventae
Dignata est facili concelebrare lyrâ.
Mitior hac nulla est, hac nulla humanior: omnes
Haec facit officiis, haec pietate suos.
En, festos conviva lares ut amabilis intrat!
Dulcior hac plenos non venit ad cyathos;
Quam neque delectant male sanae iurgia linguae,
Nec levis in turpes mens resoluta iocos;
Sed placida in roseis ridens Sapientia sertis,
Qualis Socraticâ prodiit illa domo.
Non minus hanc decuit solatia ferre gementi,
Altérius casus quae putat esse suos.

Digitized by Google

Laudatur, rapido seu tendat in astra volatu,
Maius et Alcaei tramite carpat iter,
Seu gravis heroi doctam iuvet impetus oris,
Grandiaque in numeros verba decenter eant.
Haec igitur tibi cura fuit iuvenilibus annis,
Haec merito, BOSCHI, nunc tibi cara seni est.
Haec tecum ad durae, meministi, limen *Elissae*
Ploravit clausas pervigil ante fores.
Haec lacrymosa tibi post funera cognatarum
Visque decusque orbo sola fuit senio.
Ergo age, iam digno, iam prodeat alma nitore,
Mundior a curis splendidiorque novis.
Ora virûm subeat, sed et omnia mox trahat in se;
Castalium plausu mox sonet omne nemus.
Hanc propter Latiis redeat sua gloria Musis,
Sitque poëtarum nomen, ut ante, sacrum.

Digitized by Google

Nam procul a vulgo doctos Polyhymnia vates
Semovet ac superâ mitis in arce locat,
Qua positi statione humiles iam despicere agros,
Iam coelo possunt liberiore frui.
Tu fruere hoc, venerande senex: tibi Musa beatos
Vt tulit, usque ferat, nec sine honore, dies;
Ingenioque, lyraeque et honestis debita canis
Praemia sint capiti laurea serta tuo.

1803.

Digitized by Google

IN LAVDEM

IACOBI HENRICI HOEVFFT.

At mihi nec regum libeat celebrare triumphos,
Praemia fortunae nec male fida sequi,
Neu subeam auratos humilis conviva penates,
Sedulus immodicae fila movere lyrae.
Sublimes fuge, Musa, domos; fuge celsa potentum
Atria, nec misero quaere ab honore decus.
Te pudor ingenuus tacitam secludat ab aulâ,
Magnorumque vetet gesta sonare ducum.

Digitized by Google

Hoc alii spatio sudent: tibi mitis Apollo
Lenius abducto tramite pandat iter:
Tu dulcem in vernis imiteris aëdona sylvis,
Gaudentem umbrosâ delituisse domo.
Non volucrum haec acies, non tristia bella furentum,
Non Aquilae sceptris subdita cuncta trucis,
Innocui sed ruris opes, sed cantat amores,
Et subolem et nidi commoda multa sui.
Tu quoque privatae felix cane gaudia vitae,
Casta nec Aonii pollue serta iugi,
Serta, verecundo pridem quae debita vati,
Vt meritum exornent praemia digna caput.
Huic mihi tu violas, huic Musa, novos hyacinthos
Atque omnes florum collige divitias;
Quas inter gratos diffundat laurus odores,
Implicitisque hederae luxurient foliis:

Digitized by Google

HOEVFFTIVS haec, sacrae sed rore madentia lymphae,
Gestet honoratis mollia serta comis,
HOEVFFTIVS, Aonidum pius adsiduusque sacerdos,
HOEVFFTIVS eximiae clarus ab arte lyrae.
Sive ea, grandisoni numeros imitata Propertî,
Versa canat subitâ rostra Britanna fugâ,
Libera gesserunt pelago cum bella Batavi,
Sprevit et externas gens animosa minas:
Sive ea Flaminii lususque modosque poëtae
Hollandis referat, carmina blanda, iugis;
Laetior et nostros spatietur Hyella per agros,
Pastorumque sonet cantibus omne nemus.
Scilicet his habitat Romana Camena viretis;
Non illam antiqui poenitet hospitii;
Illi sancta manent, quae, conciliante Secundo,
Foedera sub fagis condidit, Haga, tuis,

Digitized by Google

Quum placitis iurans numquam discedere terris
In pignus vati basia multa dedit:
At Dryades festis circum exsiluere choréis,
Ipsa humus et plures fudit amata rosas.
Tempore ab hoc nostrae servatur gloria genti,
Blandius ut Latio carmine nulla sonet.
Douzarum testor numeros et musica Baudî
Orgia et Heinsiadum fila canora lyrae:
Atque Elegos, formosa, tui, Galatéa, Relandi,
Plausit ab Idaliis queis Venus ipsa iugis.
Et Francî invictos celebrantia plectra Batavos,
Burmannique sacram Broukhusiique chelyn.
Nec minor ingeniis vigor est splendorque recentum.
Iam socia in laudes haec quoque turba venit.
Inclyta Santenii numeris celebrabitur Ida,
Saeva Dionaeus dum geret arma puer.

Digitized by Google

Boschia praepetibus tollit se gloria pennis,
Et titulis fulgens emicat usque novis.
HOEVFFTIVS in pariles iam pridem crevit honores,
Carmina qui priscis aemula condit avis,
Otiaque innocuae sectatur dulcia vitae,
Castalidum puris sacra colens manibus.
Huic mihi tu violas, huic debita serta coronae
Musa, piis digitis officiosa feras.

1805.

Digitized by Google

A D M A N E S

OPTIMI PARENTIS

CORNELII VAN LENNEP.

Siccine te tacitâ, Genitor venerande, Camenâ
Dimittam, et lentae patiar vada visere Lèthes
Indictum? Nullasne tibi sub nocte sepulcri
Carminis inferias et musica munera digno,
Me miserum! suprema feram? Tibi, deside luctu
Marcida, non plectro cantum, non voce dolentem,
Non aliquos heu! tarda modos mea Musa dicabit?

Digitized by Google

At memini, primâ cum quondam infirma iuventâ
Iam tamen immodicis Helicona ciere choréis,
Ausonioque rudis properaret ludere versu,
Vt tua vox blandis confestim hortatibus acres
Conanti indiderit stimulos, ut cuncta benignus
Munera contuleris inopi, largoque paratu
Luxuriare pius dederis, quo laetior inde
Magnum iter ad superas Parnassi tenderet arces.
Nunc igitur tibi sacra paret; licet horrida luctu
Carmina singultus rumpant, licet ora canentis
Adsiduae mergant lacrymae, digitosque trementes
Haud sinat in numerum fidibus dolor ire sonoris.
Nempe decet dolor iste, decet: nec iustius umquam
Defletus nato pater est. O quanta iacentis
Hîc mihi se merita obiiciunt! O dulcis imago
Temporis exacti, duce cum genitore vacabam

Digitized by Google

Lusibus et primas puer exercebar in artes!
O iuveni toties blandâ quae voce parentis
Instillata mihi vitae praecepta regundae:
Cum procul irarum terror, procul omnis abesset
Fronte supercilii nubes, sed amore micarent
Lumina et in toto multus pater ore niteret!
Quid? Mihi felices qua tempestate hymenaeos
Purus ab aetherio deduxit vesper Olympo,
Qualem ego te festis, genitor, consurgere mensis,
Quale mihi cithara memini tum reddere carmen,
Quod Pietas carmen, pariter quod Musa probaret,
Omina quod iunctis faceret mihi prospera taedis.
Scilicet hinc facilis Superûm clementia nobis
Plenior affulsit thalamis; hinc fausta iugales
Gratia per nodos regnat, foedusque maritum
Gestit Amor cumulare bonis; hinc, hinc mihi laetam

Digitized by Google

Florentemque domum faciunt duo pignora lecti.
Et bene habet! Gremio, parvi, lusistis avito,
Inque vicem tibi, care puer, tibi, cara puella,
Subrisit frons alma senis, dum sedulus ambos
Sollicito ligat amplexu, cohibetque lacertis.
Illa tibi morum, pater, indulgentia! Sic me
Mitis amas, sic deinde meos. Sed enim, ecce, suis me
Increpat hîc frater lacrymis, et pallidus ora
Se quoque dilectum parili testatur amore.
Nec minor in natas, genitor, tibi pectore dulces
Egregio flagrabat amor; quarum altera praeceps
Durum mortis iter subiit iuvenilibus annis,
Ah! luctûs tibi caussa feri, laudata paternis
Fletibus ad tumulum virgo, laudataque cantu:
Altera, me miserum! cari post fata parentis
Deficientem animam vix sustinet, ac tibi, mater,

Digitized by Google

Heu viduae! repetita novum post vulnera vulnus
En, morti vicina parat. Lugubribus atros
Cultibus adde sinus, mater! non iam tibi coniux
Non tibi, mater, adest coniux, qui victa dolore
Pectora, qui fessam aerumnae sub pondere mentem
Erigere ipse gemens studeat; qui saepe madenti
Lumine soletur flentem, pariterque ferendo
Fortunam pro parte levet. Periere mariti
Alloquia, admonitusque tibi, curaeque fideles,
Quemque tibi illaesum servavit lustra per octo,
Coniugialis amor. Secum omnia triste sepulcrum
Abstulit, ac tibi nil miserae, nisi flere, reliquit.
Atque utinam tumulo duntaxat condita eodem,
Non divisa forent regionibus ossa tuorum,
Vt coniuncta tuas lacrymas uno omnia busto
Combiberent, simul et matris, simul atque maritae

Digitized by Google

Officiis fungi posses, libamina fundens.
Dîs aliter visum! — Non te, pater optime, nobis
Optato licuit defunctum inferre sepulcro,
Non tellure iaces placitâ, non propter avorum
Relliquias, bustumque piae venerabile natae,
Ossibus ossa premens. Tam saeva tempora lege
Decurrunt, ipsosque gravant post funera manes!
Non igitur, vivum quae spes te blanda fovebat,
Manpadicis tua sunt vicina sepulcra viretis,
Vnde tibi a gelidis venientes vallibus aurae
Mollius accedant tumulo, vegetentque canistris
Oblatas tibi forte rosas. Non proxima busto
Carminibus celebrata tuis Philomela queretur.
Illa tamen, seu Manpadici sub tegmine fagi
Conditur, Harlemias quercus seu laeta revisit,
Vsque tibi memorem fundens gratissima cantum,

Digitized by Google

Admonitu mulcet nemus et quos saepe solebas,
Naturae scrutator, agros lustrare meatu,
Quaeque tibi ornatum debent, cultumque Napaeae.
At simul ereptum letho sibi Manpadis ora
Heu qualem dominum! gemit et sua prisca revolvens
Vulnera, conqueritur, toties quod vivus amatis
Gratorum illecebris nemorum, villaeque carebas,
Dum vigilas populo, dum civibus auctor honesti
Esse cupis, patriaeque gravem fulcire ruinam,
Incassum! — Sed enim rectis sua praemia factis
Non desunt. Sequitur iustos pia fama sepultos.
Haec, genitor, plenis effert te laudibus, haec te
Praedicat, ut clemens, ut semper comis et idem
Iustitiae rigidus vindex, ut fidus amicis,
Vt tibi nil quaerens, in cives deditus omnis,
Integer ut vitae fueris, ut pacis amator,

Digitized by Google

Vt pius in Superos. — Hinc carae flebilis urbi
Occidis, hinc patriae, lamentaque saeva tuorum
Publica vox tristi fremitu gemituque secuta est.

1813.

Digitized by Google

AD

GVLIELMVM FREDERICVM

AVRIACO-NASSOVIVM,

BELGARVM FOEDERATORVM PRINCIPEM,

CVM, COMITANTIBVS DVOBVS NATIS, SCIENTIARVM LITERARVMQVE ATQVE ARTIVM INSTITVTVM, QVOD AMSTELODAMI EST, INVISERE DIGNARETVR,

pridie Kal. April. MDCCCXIV.

Hic tuus est, GVLIELME, dies. Tua dona iubemur
Dicere. Tu citharam manibus, tu plectra reponis.
Agnosco veteresque modos, veteremque vigorem
Carminis et Musas iam nil servile paventes.
Nunc tempus reparare choros: nunc promere tempus
Orgia, sacrilegum melius celata tyrannum,
Sed visenda Tibi. Tu Phoebi dignus honore:
Tu pia nos ad sacra vocas. Iuvat ire per omnes

Digitized by Google

Intrepidum Pindi lucos. Iuvat, auspice tanto,
Libera Castaliis vestigia ferre viretis
Et Musas impune sequi. Te praeside rerum,
AVRIACE, ingenui cantus Helicona ciebunt.
Iam, neglecta prius, sua templa revisit Apollo.
Laetior immuni iam se levat ignis ab ara.
Vernat humus, largè latices praebente Aganippe.
Cernis, ut alta comas Tibi se Parnassia laurus
Explicet et patulis foliorum exuberet umbris?
Colligere hinc tibi serta iuvat, quae sparsa liquore
Pegasidum sacros cingant Tibi vertice crines
Non sine civili quercu. Nam Belgica felix
Hanc Tibi terra, pater, frondem servata dicavit.
Vix ea turpe iugum saevasque exuta catenas
Auriaci respexit opem, quin protinus acer,
Acer ades, patriaeque citum Te reddis amanti,

Digitized by Google

Non maris hyberno veritus sub sidere casus,
Non, quod adhuc nostris inimicum in sedibus agmen
Haereret furiale minans. Pro civibus ardes
Omne pati certamen et omne subire periclum.
Nec minus illa piae sedit sententia menti,
Mitia praeteritis spondentem oblivia rebus
Tollere, si qua forent odii monumenta prioris,
Dissidiique faces semel extinxisse nefandi.
Sic patriae, non partis amor Te, sancte, reduxit.
Sic venis afflictis decus et tutela Batavis.
Sic merito plausere Tibi iuvenesque senesque,
Cum primum Hollandas tetigit Tua puppis arenas.
O iucunda dies et numine nata benigno,
Quae talem huic genti potuit conferre salutem!
Spes iam grata redit. Redeunt iam gaudia cunctis.
Iam non vita malum, iam non adolescere poena est.

Digitized by Google

Iam solidum sanis gaudet pia mater alumnis.
Haec, precor, haec nobis serva bonus otia: nec Te
Consuluisse tuis pigeat. Tibi nostra volentes
Credimus en! cuncti digno. Tibi corda dicamus
Libera. Tu iustâ populos sub lege guberna.
Fallimur, an rerum pandit se lucidus ordo?
Sic erit. Ignavae tandem cessere tenébrae.
Defuncti sumus aerumnâ. Manet alta Batavos
Gloria. Stat veteris praeconia vincere famae.
Principe Te, GVLIELME, novum bona secula cursum
Incipient. Tibi laeta feret Victoria palmas.
Laetior optatam Pax alma adiunget olivam.
Tu dabis hoc genti munus, patriaeque iuventam
Restitues, populoque decus. Tua cura beatas
Efficiet matres, fortunatosque parentes.
Ipse quidem ante omnes felix pater! O Tibi nati

Digitized by Google

Gaudia quanta parant, tenero quos celsa sub aevo
Nobilitat virtus iam nunc, decoratque tropaeis!
O maior iuvenum, qualem Tibi serpere myrtum
Adspicio lauros inter! Quam digna paratur
Taeda Tibi! faustos populis, i, iunge hymenaeos,
Et Britonas magis atque magis connecte Batavis.
Ecce rates nostras pacatum invitat in aequor
Ipse Deus pelagi. Iam tollite vela, carinae;
Tollite praecipites, Indosque revisite nostros.
At Tibi Belgarum, GVLIELME, potentia cunctos
Nominis eiusdem populos, veterique ligatos
Iure, piis iterum det in unam iungere gentem
Legibus. Addicto Scaldis Tibi flumine currat,
Auriacosque lares olim quoque visere Senna
Suetus et excubias subter Sabis ire Batavas.
Sic latè ditione potens, sic mole verendum

Digitized by Google

Imperium externi metuant violare tyranni.
Sic pater e summo felix Gulielmus Olympo
Perpetuum invictos videat regnare nepotes.

Digitized by Google

AD SOCIOS

ACADEMIAE REGIAE

SCIENTIARVM ET LITTERARVM

BRVXELLENSIS.

Musa, fave. Amstelia tibi sacra sodalis ab urbe
Grata mihi Belgas inter celebrare sodales
Aggredior. Tu, si qua fuit vernante sub aevo
Nostra tibi studiis pietas accepta modisque;
Post, aliis si rite viam ad tua templa paravi;
Si patriae tactum mihi pectus amore, benignos
Intus alit Belgis pariter pariterque Batavis

Digitized by Google

Affectus, nunc, Diva, precor, nunc adnue coeptis.
Instaurata cano Belgas interque Batavos
Palladis et Phoebi commercia, quemque solutum
Foederis indignè tulerant duo saecula nexum,
Laetiùs hoc tandem reparari tempore nobis.
Musa, vides, Belgas rapiat qui protinus ardor
Signa renascentis ponendi certa favoris;
Dum proavos Latiae praesignes dote Camenae,
Sive Batava illos tulerint, seu Belgica rura,
Per commune iubent monumentum tradere seclis.
Scilicet, in socia prognati gente Secundi
Non erit, ut Belgis laus unquam aliena feratur:
Et socias quanquam valuit disiungere gentes
Hinc illinc furiale nefas, tamen usque reductis
Vallibus Elysii nemoris comes Hoschius ibit
Heinsiadis, atque umbra comes tibi Grotia, Walli.

Digitized by Google

Namque olim ingenio, nam dulci carminis arte
Vatibus assueti Belgae certare Batavis,
Cur posthaec tanquam victi cessere? Latinis
Cur simul hîc patriisque indicta silentia Musis?
Non animi fuit illa tui, gens Belgica, turpis
Segnities; non te pigram torpere veterno
Iuvit: at invitae gravis inclementia fati
Decussit plectrum manibus, rupitque sonorae
Fila lyrae, bellis moestam sine fine fatigans,
Heu semper de te bellis, at non tibi gestis!
Otia vix tandem poterant reparata videri,
Vix illa ingenuas magis exhilarare per artes
Principis egregii vox iusserat, utque Minervae
Lecta cohors doctos vellet sociare labores;
Saevior ut rediit furiarum cincta catervis
Horrisono Bellona gradu. Fugére sodales

Digitized by Google

Palladii, miserasque Deae situs obruit aras.
Antiquum vix nomen erat tibi, Belga, relictum,
Et partem exiguam regni te victor habebat.
Mox eadem afflictos pressit fortuna Batavos.
Sed bene habet! Namque ulta suos gens utraque casus
Externum sociis praedonem contudit armis,
Cum versas Gallorum aquilas, fusosque maniplos,
Et foedam pallore fugam accelerare tyrannum
Viderunt colles Morini et inga laeta Brabantum.
Hinc Belgis decus, hinc rediit pax aurea Belgis,
Hinc sub Rege pio redierunt commoda pacis,
Otiaque et doctae socialia iura Minervae,
Quae facili Belgas vinclo Batavosque ligarent.
Hîc igitur iunctis patriae tueamur honores
Viribus! egregios iuvet hîc laudare parentes,
Laudatosque sequi. Priscis monumenta poëtis

Digitized by Google

Ponere nos iubeat pietas, sed et ipse canendo
Dignum aliquis parili doceat se munere vatem.
Fastorum hîc sociis tua pande volumina, Clio.
Bruxellae veteres Belgas veteresque Batavos
Coniunctim meminisse velint, quos aurea virtus
Vnanimos patriae iussit vigilare saluti.
Laudibus hîc, Hornane, tuis nil detrahat aetas,
Sed Brederodeae vivat quoque gloria famae.
Antiquos hîc Nassavios miremur, at una
Mentibus occurrat non degenerasse nepotes.
Sic sua quisque velit maiorum exempla referre,
Laudibus et laudes cumulare, ut Belgica laetum
Attollat veneranda caput, splendore coronae
Et procul Eoo missis de litore gemmis
Cingere quod pariter cupiant et Scaldis et Ya,
Menapii Morinique simul quod frugibus ornent;

Digitized by Google

Nos quoque Musarum socii concordibus ausis
Cui Sophiae flores, laurique virentis honorem
Castaliique decus serti immortale feramus.

1819.

Digitized by Google

PARENTALIA

IN HONOREM AC MEMORIAM

HENRICI CONSTANTINI CRAS,

D. XI. Novembris MDCCCXX.

IN ATHENAEI MAIORE AVDITORIO CELEBRATA.

Coeli summa petens iam non Phoebeïus ignis
Vrbibus exoritur gravior, penitusque latébras
Quaerere nos gelidi ruris iubet, inque reducta
Valle diem segnes consumere inertibus horis:
Temperat autumnus solem; cessere calores,
Et finem piger annus habet. — Vigor ecce resurgens
Omnibus, ignavum mentis damnare veternum
Cogit et urbanos ruri praeferre labores.

Digitized by Google

Clausa diu castae reserantur templa Minervae,
Limen et ipse suum laurusque revisit Apollo.
Conveniunt iuvenes ad sacra, piumque decoro
Ostentant vultu doctrinae et laudis amorem:
Sponte sacerdotum queis se chorus omnis ad aram
Sistit et ingenti studio veneranda revelat
Orgia. — Sed tamen, ut lucem proferre parantis
Saepe pruinosos Phoebi nebula impedit ortus,
Talis fronte viris male dissimulata nitorem
Fuscat et egregiis se cura paratibus infert.
Heu! par est lugere. Iaces fidissime ductor
Nempe chori, longum thiasis spectate per aevum
Praesul et usque tuis exemplum insigne vigoris,
Crasse, iaces. — Nos te positum pia turba feretro
Vidimus, ad funus venientes sponte magistri
Discipulorum agmen, tibi nota et fida caterva;

Digitized by Google

Pars meritis et honore graves, canisque verendi;
Pars, quibus ad gestus modo vita evecta viriles;
Pars, quae nuper adhuc suspensa docentis ab ore
Tramite virtutis iuvenilem ponere gressum
Discebat, studiis formans se iuris et aequi.
Stabant dissimiles aevo, pietate animisque
Coniuncti, attonito spectantes lumine bustum.
Orba suo triplex doctore cohorruit aetas!
Non hîc cernere erat magnae spectacula pompae;
Non, quae vulgus hians caperent funebria fastu:
(Quanquam, si per te licuisset, CRASSE, supremis
Nulla tuis cives facile ornamenta negassent,
Quae tribui posito vetuit tua sola voluntas.)
Verum aderant magni verique insignia luctus,
Humentes oculi pariter iuvenumque senumque,
Squalentes vultus et lamentabile murmur.

Digitized by Google

Ipse ego crudeli tremefactus membra dolore,
Laudator tumulo superadstans, edere iustos
Vix potui questus et congrua verba sepulcro.
Nunc desiderium capitis venerabile cari
Non cessare sinunt doctis redeuntia sacris
Tempora, et ipsa frequens ad Palladis atria pubes:
Sed minus est crudum vulnus, nec, ut ante, tumescens
Quantumvis lenem tactum aversatur et horret.
Me quoque post magnum cruciati pectoris aestum
Mitior affectus patitur iam quaerere dignos
In laudem tibi, CRASSE, modos, nitique canendo,
Nostra tuis meritis spectetur ut aequa voluntas;
Et, quo saepe loco tua vox aliisque, mihique
Praeclarum teneris studium instillavit honesti,
Mascula facundis implens hortatibus aures,
Hoc tibi iam digno praeconia reddere cantu.

Digitized by Google

Scilicet Ausonias conanti impellere chordas,
Promptior his fautrix venies mihi, Musa, choréis,
Promptior hoc mihi, Musa, loco. Nam servat honores
Hîc vetus ara tibi, tuque ipsa lubente solebas
Palladis haec celebrare frequens penetralia gressu,
Burmanno pulsante chelyn! Mihi nunc quoque vultus
Huc adverte bonos, fidibusque modisque Latinis
Priscum redde decus, Crassoque haec munera dona.

Summi nata Iovis, Pacem Eunomiamque sorores
Quae vocat, ipsa quidem superas colit aurea sedes
Iustitia et semper solio patris adsidet alto:
Nec tamen invidit prorsus sua lumina terris,
Vsque sed aetherea radios demittit ab arce,
Mortales inter penitus quibus alta coruscant
Tecta Deae, saxo surgentia templa vetusto,
Naturae fundata manu. Viget inde perennis

Digitized by Google

Flamma foco, rutilatque adytis venerabile lumen.
Mirantes spectant populi, sanctaeque pavescunt
Relligionem aedis, firmoque adamante columnas,
Mansurum seclis opus, invictumque procellis.
Mentis at egregiae quosdam rapit igneus ardor,
Vt propius sacras cupiant accedere flammas,
Splendoremque arae, legere et praecepta severi
Iuris, in aeterno fixa atque incisa metallo,
Cognita quae doceant servare fideliter urbes.
Hac pietate olim prudentia dia Solonis
Cecropias iustis stabilivit legibus arces;
Hac te, Roma, tuus quondam Numa iuvit et ingens
Hinc chorus interpres iuris, populoque Quiritum
Caesaribusque suis verissimus arbiter aequi.
Te quoque, CRASSE, idem generosi pectoris aestus
Compulit ad sanctae iuvenem sacraria Divae.

Digitized by Google

Erigat et celsum rupes licet ardua templum
Et grave per spinas iter anfractusque laboret,
Tu faciles duro posuisti tramite gressus.
Fallor, an adscensum loca per salebrosa paranti
Mox tibi ab Elysia comites se valle tulerunt
Tullius auxilio veniens et Grotius ultro,
Straveruntque viam iuga per fragrantia multo
Flore thymi, blandisque apium exhilarata susurris,
Quaque rosas posses et odoras carpere lauros.
Ipse quidem studium hinc praesigne rependis utrique,
Exemplumque secutus et huius et illius, ambos
Laudans usque colis noxaque tueris ab omni.
Iamque Deae claram felix adnisus ad aedem
Exsultante gradu properas. Stat limine templi
Blanda serenatum praebens Sapientia vultum,
Latius et celeri pandit tibi cardine valvas.

Digitized by Google

Quam cupido lustras ibi protinus omnia visu!
Quam recreas mentem et vivo te lumine pascis!
Hinc tibi iura patent, non, quae per iniqua tyrannus
Imperia imposuit populis et sanguine sanxit,
Non, variante fori strepitu quae multa tribunus
Plebis ad arbitrium fixit levis atque refixit,
Humanae placita et commenta volucria mentis,
Lux hodierna viris quae fert et crastina tollit,
Sed, quibus aeternam coelesti ab origine cretis
Vim natura dedit, servatque illaesa per aevum
Et penitus sancto iustorum pectore condit.
Haec legis, haec imis avide praecepta medullis,
CRASSE, animoque hauris, ardesque intégra tueri.
Laetius hinc nitet aede iubar, faustaque relucet
Fronte tibi. Sacer ipse aris micat altius ignis.
Accedis, rutilamque capis, quam te Dea iussit

Digitized by Google

Lampada ferre suam, lateque hac fundere lumen.

Quem vero ad populum venies? quem munere dulci
Doctrinae linguaeque tuae, venerande, beabis,
Antistes lectus Divae sacrique magister? —
Ad cives pater Ya suos te numine dextro
Promptior ecce vocat. Tibi nec sprevisse vocantem
Mens tulit. Ipsa placet studiis urbs clara virisque,
Qua vetera et laetis olim celebrata hymenaeis
Maiugenae clemens servat connubia Pallas.
Huius in aede locus te flagitat et sibi poscit,
Alta ubi iuris erat pridem fundata cathédra,
Sed nunquam tanti studiis ornata magistri.
Hanc colis, hanc unam tibi deligis, inclyte, sedem;
Hanc aliis praefers, quamvis speciosa feratur
Conditio statioque tibi; nec Vossia virtus
Amsteliae meritis magis est spectata Minervae,

Digitized by Google

Nec magis Burmanni Musa ingeniosa Secundi,
Quam tua, CRASSE, fides vigilansque et certa voluntas.
Qualiter, irriguo cum flos novus exstat in horto,
Puniceos pandens verno sub sole colores,
Ambrosiasque comis exspirans mollibus auras,
Mox et apes adsunt et sedulitate frequenti
Circum omnes strepere et nectar sibi tollere certant.
Sic laudem, famamque tuam, ingeniumque secuta
Mox tibi densa fremit circum subsellia pubes,
Attentaque bibit tua dicta fideliter aure:
Cui quid non tribuis? Solemnem gnavus ad horam
Seu venis et comem vultum exspectantibus offers,
Et tibi quae longo meditata et culta labore,
Nunquam culta satis tibi sed quae visa, revelas,
Et monita his subito nova promptus et impiger addis,
Suetus et historias, veterumque exempla virorum

Digitized by Google

Inserere et mira docilem capere arte iuventam:
Sive, illi inter se verbis cum proelia miscent
Ludicra, pro vero pugnans hic, alter iniquae
Patronus causae, magnoque ardore feruntur
Mutua certantes, simulantque forensia bella;
Tu pugnae moderator ades, lapsosque benignus
Erigis, et trepidos firmas, causaeque vagantes
Restituis, victumque vetas succumbere verum:
Sive, aliquem egregiae cum signa ostendere mentis
Laeta vides iuvenem, currenti protinus acres
Ad laudem huic stimulos plausuque et vocibus addis;
Mox rapiente suum tenera virtute tropaeum,
Toto animo gestis et iam velut ipse triumphas,
Surgentemque levas famam et bonus instruis alis,
Magna ferens subitae populis praeconia palmae.
Quid mirum, invicto si te quoque semper amore

Digitized by Google

Grata iuventa colit venerans, animumque rependit?
Mens ea pro caro quantum est spectata magistro,
Vesani cives cum exutum hunc munere vellent,
Indomitos plebis male turba secuta furores!
Causa quidem et sceleri praefertur sancta Dearum
Libertas! Nempe illíus tu rite colendae
Diceris ignarus, tu, CRASSE, alienus ab illa,
Quo quisnam melius mortales foedere ab aequo
Naturae in socias venisse ostenderat urbes,
Liberaque humano generi procedere iura?
Ipse manes veri constans rigidusque satelles
Et, dulci quamvis, potius decedis honore,
Quam generosum animum tibi formula legis iniquae
Obliget, atque odii iures in verba maligni.
Dis melius cautum. Nubes inimica recedit,
Exemploque tuo firmata valentius omni

Digitized by Google

Praecepto, cunctis ratio inculcatur honesti.
Tu, ceu victor ovans, laurum deponis amatae
Palladis in gremio, totus cui deditus uni
Coeptum pergis iter, cui cuncta tropaea reservas.
Splendidus Amsteliae nitet hinc tholus aede Minervae
Muneribus crebris, nec lumen deficit unquam
Aede tuum, sacro nec limine turba minorum,
Nobile quam templi decus allicit et tua virtus.
Hanc admotam aris lustras pius igne verendo,
Participesque tuae reddis facis, inque severam
Instituens formas artem, monitisque figuras.
Prodiit hinc quantus patriae chorus! o tibi quantas
Illa virûm dotes et fortia debuit ausa!
Vt totam penitus. CRASSE, instruis! Ecce tuorum
Discipulorum alius causis clarescit agendis,
Vel sedet interpres legum, dubiosque gubernat

Digitized by Google

Consilio, et motas gestit componere lites.
Ast alius celsum iudex gravitate tribunal
Condecorat. Fasces alius gerit. Ille iuventae
Fautor adest studiis et Palladis otia curat
Mitis. At hunc summis agilis solertia rebus
Inserit et magni partem facit esse senatus,
Vel latus ad regis censere, quid utile regno.
Sunt etiam, cari vestigia docta magistri
Qui propius legisse velint, ipsique ciere
Discipulos, ipsi nomen meruisse docendo.
Omnibus instar habes venerandi, CRASSE, parentis,
Omnibus his sensum tribuens, animumque parentis.
Horum quippe viges successibus; hos colis acer;
Horum laude tuam oblectas, vegetasque senectam.
Quid refero? Tibi nil quamvis longaeva senectus
Detrahit. Invicto pergis pede, corpore celsus.

Digitized by Google

Non manus officium calamo, non lumina libris
Fessa negant. Vitae licet octogesimus annus
Adsit, ut ante, vacas studiis, doctumque per orbem
Vulgas scripta, citas animi testantia vires.
Sic se Romulidis antiquo tempore Varro
Gessit, et annosi vis indefessa Catonis:
Sic senii domitrix Isocratis aurea virtus
Dulcibus attentas studiis hilaravit Athenas.
Atque utinam plenos aequare Isocratis annos
Prospera cunctorum votis tibi fata dedissent,
Saltem aut Palladii, quod iam currebat, honoris
Te decimum haec aedes vidisset claudere lustrum.
Quos plausus non illa dies, laetosque tulisset
Temporis exacti admonitus, quam grata tuorum
Pectora, quos vultus, et murmura blanda faventum!
Quod si ora alloquiis solvens (animusque ferebat)

Digitized by Google

Ipse tuum hunc coetum festo sermone beasses:
Vt te, melliflua superantem Nestora lingua,
Ad coelum altisono populi clamore levassent,
Et superare ipsum vovissent Nestoris aevum!
Me quoque iam a teneris tibi dedita corda gerentem
Lux ea non tacitum aut citharae sivisset inertis;
Carmine sed facili mea tum tibi vena, ferentes
Nacta vias, rapidi properasset fluminis instar
Cursibus irriguis per florida prata voluti.
Nunc numeros luctus cohibet, sistitque fluentes
Et Musam desiderium grave tardat amici.
Heu! quanquam senior, quanquam vulgaria multum
Actibus atque annis superans fastigia vitae,
Raptus es ante diem. Pridem ut quae gloria ruris
Vlmus, ab innumeris culta et celebrata colonis,
Illa quidem affecta iamiam radice labascit,

Digitized by Google

Sed tamen antiquos servat bene frondis honores,
Et, sinerent Boreae si flabra furentis, amicum
Vitibus, ut quondam, auxilium fulcrumque tenellis,
Atque umbram iuvenum poterat praebere choréis:
Sic quoque te fessi non languor inutilis aevi,
CRASSE, tui immemorem supremae tradidit horae:
Firma sed extremo vestigia limine vitae
Ponentem, heu! nimii vis perculit effera morbi.
CRASSE, iaces! Niveam posuit tibi turbida vestem
Iustitia, et sacris advertens pallida vultus
Aede sua rutilum tulit intabescere lumen.
Ferale auditum est per Palladis atria murmur.
Attoniti circumspiciunt iuvenesque senesque
Nequicquam, pavidique oculis te, CRASSE, requirunt.
Vt si celsa Pharos, dubiis lucere carinis
Sueta, repente facem abscondat, vel turris ab aevo

Digitized by Google

Littore conspicienda procul, Iovis ignibus icta
Prociderit, per transtra viros stupor ocyus omnes
Occupet, incipiantque ipsi trepidare magistri;
Sic tua te pubes, sic nos te, CRASSE, relicti
Quaerimus, incassum magna te voce cientes.
Tu ductor, tu praesidium, columenque tuorum,
Tu pius Amsteliae stator et tutela Minervae
Dulcis eras; per te laudis tenet inclyta culmen.
Huic tu qualis abes! quantum in te amisimus orbi!
Viribus ingenii summis industria felix
Aequa tibi, nullo fracta aut lassata labore,
Sedula miratrix veterum, sed et usque recentum
Artibus adiiciens operam placitisque notandis:
Quae studia haud summus victo iam corpore morbus,
Haud instans potuit prorsus tibi pellere fatum.
Nempe alacer, totusque vigens et fortis agebas!

Digitized by Google

Propositi constans ratio tibi, quodque probasses
Acriter hoc animi retinebat firma voluntas,
Instabatque aliis inculcans voce diserta.
Quale tibi eloquium! Suadae quam culta Latinae
Gratia, ad exemplum currens Ciceronis amati!
Ponderaque effatis suberant, et acumine mentis
Chrysippo dubiam potuisses reddere palmam,
Gnarus item intuitu naturae prima sagaci
Principia et finem quaesîsse bonique malique.

Sed interveniens modis severis
Quid plectrum mihi corripit Thalia?
Vultu quid iubet innuens venusto?
Vult partem sibi carminis relinqui:
Vult partem sibi vindicare CRASSI.
En muto, Dea, te iubente, chordas,

Digitized by Google

Heroi pedis et sonum remittens
Blandis ludere gestio phalaecis.
Tu, nam scis Dea, dic viri lepores;
Dic molles aditus et os benigna
Vel parvis hilarum allocutione;
Dic frontem sine nube suspicaci
Et, quam non tetricae litans Minervae
Iucundus sator elegantiarum
Et festis bonus arbiter Camenis
Et multi fuerit salis iocique.
Quid? post innumeri diem laboris
Et magnos operae feracis actus,
Cum iam quaereret otiis remitti,
Iam convivia, praesidens amicis,
Et lenes Bromii choros cieret,
Vt cunctis erat optimus magister

Digitized by Google

Vini, laetitiae, levis cachinni;
Quem vellent iuvenes senem sodales
Semper dulcibus imperare coenis!
Quondam Cecropis urbe sic iuventus,
Convivam sibi Socratem probavit!

Tali cum Sophie nitore prodit,
Quem non coetibus elicit favorem?
Quanta in se studia excitare vulgi,
Quam multos potis est beare alumnos?
Per te, CRASSE, suos decens honores
Omnes rettulit, et vigente CRASSO
Haud ullas metuit sibi tenébras.

At nunc Elysiis, beate, campis,
Qua lucos chorus incolit piorum,

Digitized by Google

Degis, Grotiadae tuo propinquus,
Nobis sed procul et procul palaestra,
Quae tantum tibi debuit bonorum.

An rursum numeros novare plectro
Et tristes Elegos lyra sonare
Hîc iam convenit? Haud puto licere!
Quid? vitae melioris ut quietem,
Quid? vitae melioris ut beatam
Sortem nos malus invidere CRASSO
Iam luctus iubeat? Pudenda merces
Haec pro muneribus viro feratur!
Et solatia magna sunt doloris:
Exemplum manet inclytum sepulti,
Nec totus periit. Vigent relicta
CRASSI tot monita et colenda iussa

Digitized by Google

Fidis indita mentibus minorum.
Sunt, vestigia qui premant magistri.
Sunt, sunt, qui studeant referre CRASSVM,
Forti pectore grande quid minantes. —
Et nostrae superest decus Minervae,
Nec digno Sophie caret nitore,
Aut ullas metuit sibi tenébras.
Luces nobile candidumque lumen
Nobis tu, bone SWINDENI! superstes,
Longo qui pariter verendus aevo,
Sera qui pariter vigens senecta,
Dignum Palladiae vales catervae
Exemplum dare et auspicem choréis.
Quare ut te vegetum diuque salvum
Conservet Deus, hic dies precari
Primum nos iubet: at sequente voto

Digitized by Google

Nobis insuper hoc rogare fas sit,
Huic nunquam ut iubar occidat palaestrae,
Sed crescat magis et novum per aevum
Multos efferat aemulos priorum,
Dignos SWINDENIO, paresque CRASSO.

Digitized by Google

IN NATALEM

OCTAVVM ET OCTOGESIMVM SODALITII,

CVI SYMBOLVM

LIBERTATE ET CONCORDIA,

die 17 *Decembr. MDCCCXXII.*

CELEBRATVM IN AEDIBVS VIRI AMPLISSIMI

HENRICI VOLLENHOVEN,

SODALIVM HOC TEMPORE MAGISTRI.

Festum, Sodales, qui Veneris diem,
Qui sacra mecum rite Decembria,
Qua comis invitat Magister,
Nunc agitis, Genio litantes;

Digitized by Google

Vnde auspicatum rideat omnibus
Anni, quod instat, principium novi,
Faustaeque coenarum stativae
Dulcem habeant reditum per orbem:

Mecum, Sodales! mente hilari sacris
Adeste, morem nec pigeat bonum
Servare, quem patres perennem
Et proprium his dapibus dicarunt.

Curae facessant, nec male frontibus
Nubes inhaerens tristitiam serat.
In crastinum solem labores,
Ingeniique minae quiescant.

Digitized by Google

Nunc, nunc remitti lusibus et iocis
Solemne festi nos iubet otium,
  Pectusque tradentes Lyaeo
    Mite sequi monitum Magistri.

Regnet Lyaeus; sed comites decens
Musasque et almae Palladis orgia,
  Suadamque et argutos lepores
    Mercuriique habeat diserti

Loquelam, ut ictos vis melior regat,
Et sit, iocosi post calices meri
  Cordi quod insertum fideli
    Quisque domi cupidus retractet:

Digitized by Google

Ametque sermo currere per vices
Nec perstet una garrulus in via,
Sed Gratiarum hortis vagetur
Et varios legat usque flores,

Risusque secum et laetitiam ferat
Et non nocentis delicias ioci.
Ad sacra sic gaudente nostra
Lumine respicient priorum

De valle manes Elysia boni,
Sanctusque sacris ipse aderit chorus,
Ipse, ipse et adspirans nepotum
Coetibus adiiciet vigorem.

Digitized by Google

Hac spe, Sodales! impiger annui
Solemne munus quisque obeat scyphi,
Bacchoque praestandos honores
Legitimum reparet per haustum.

Digitized by Google

AD

AMSTELIAE PALLADIS ALVMNOS

E

MILITIA REDVCES.

O sueta pacis quaerere ab artibus
Cultaque pubes praemia Pallade,
Qua Diva mansuros honores
Amstelîâ sibi servat aede:

Digitized by Google

Tulistis acrem tramite Martio
Duris sub armis militiam sequi,
Saevosque castrorum labores
Pauperiemque gravem subire,

Non, quod pigebat mitibus otiis
Musis amicam tendere per viam,
Dulci sub adspectu parentum
Ingenium studio beantes;

Non, quod cruentae turbida gloriae
Vobis cupido mentem agitans levem
Per bella venari iubebat
Murmur ovantis inane famae;

Digitized by Google

Sed, quod tuentes officii vicem
Carae movebant tempora patriae,
Moestâ sub atram vim pericli
Voce suos ad opem cientis;

Sensitque vestri munere praesidî
Rebus levamen patria in arduis,
Proque arcibus fidas Batavis
Excubias vigilesque curas:

Quod spem repressit foedifragae manus,
Mentemque firmam restituit bonis,
Certumque fortunae paravit,
Credite, principium secundae.

Digitized by Google

Iam iam, fugata nube gravissimi
Tetra laboris, vos bene Palladi
Mavors remittit, gestienti
Conspicuos meritis alumnos,

Aedis receptos limitibus suae,
Mox dona dignos ducere ad intima,
Quos civicae sacris litanti
Festus honos redimit coronae.

At per paternam qua iuvenis domum
Se sospes infert, hinc pater occupat,
Hinc matris, hinc carae sororis
Blandus amor sequitur, fovetque;

Digitized by Google

Quas pone dulces lene rubens genas,
Vix ausa motum promere pectoris,
Sperata dilectum revisens
Ore salutat amante virgo.

Nutritur ardor munere mutuo,
Redditque curis cura piam vicem
Et patriae fidum repertum
Valdius inde colunt propinqui:

Sensusque amoris non minor his viget,
Artes iuventae qui monitis regunt
Et comprobatis iam periclo
Discipulis merito triumphant.

Digitized by Google

Ite hinc, sodales, tramite, quo vocat
Innata virtus. Pergite in arduum
Constanter eniti, nec uno
Pignore de patria mereri.

Tuque o, procellis altius emicans,
Batava tellus! progeniem hanc tibi
Promitte venturos in annos
Grande decus columenque firmum.

d. 11 Octobris MDCCCXXXI.

Digitized by Google

INSCRIPTVM

ALBO

VIRI ORNATISSIMI

SAMUELIS IPERIDAE WISELII.

Praestare dulci munera patriae,
Regis gregisque et pervigilem bono
Constanter urbanae quietis
Grande decus populo tueri;

Digitized by Google

Mox, hora blandis dum vacat otiis,
Inter sodales et sobolem piam
Pectus per optatas loquelae
Delicias recreare fessum;

Interve libros nec sine barbito
Dotes colentem divitis ingenî
Scripsisse, quod doctis perinde
Mentibus et populo probetur:

Si qua ad beatam (res hominum ut ferunt)
Vitam obtinendam sors facit, haec facit.
Haec est tua et multos in annos
Vt tua sit, maneatque, Numen

Digitized by Google

Oro, Wiseli, floreat ut tibi
Vigens senectus, dum melioribus
Terrena te mutare laetum
Cura Dei faciat benigni.

d. 22 Maii MDCCCXXXIII.

Digitized by Google

IN NATALEM CENTESIMVM

SODALITII,

CVI SYMBOLVM

LIBERTATE ET CONCORDIA,

DIE 17 DECEMBRIS MDCCCXXXIV

A SODALIBVS CELEBRATVM.

O, grata semper quae Veneris comes,
Huc, quo ciemus Te Veneris die,
Ad saecularis festa sacri,
Euphrosyne! propera venire,

Digitized by Google

Qualisque binis laeta sororibus
Haerente nexu copula te ligat,
Tali revinctos hîc sodales
Foederis haud pereunte nodo

Constringe, sertis nec pigeat tuis
In vincla flores, nec capiti rosam
Demsisse, quam spinis vacantem
Dulce petat sibi quisque munus.

Sic sic ligatos quo melius iuves,
Ad nos sereni verte oculi iubar,
Vt luce lustratis benigna
Protinus hinc sociis recedat,

Digitized by Google

Si quid doloris mente reconditum
Rodit latenter, si quid et absoni
Sacris, quod aegrum cor fatiget,
Pectore inest nimium tenaci:

Atque hinc novatos et tibi deditos
Iam siste ad aras, Euphrosyne! pias,
Purusque ab his se tollat ignis
Inque apicem bene surgat unum,

Vt tam decoros ipsa pedem velit
Conferre praesens Cypria per choros,
Concordibus gaudens amicis
Tanta suam bona ferre lucem.

Digitized by Google

Tum se venustae nec Deus artifex
Solers loquelae, nec volucer Iocus,
Nec risum amans comem Lyaeus
Coetibus his renuet sodalem:

Quos nempe Divos egregii chori
Nobis priorum, tempora dum volant
Per lustra viginti, faventes
Vsque suis habuere sacris:

Nam rara blandae dos sapientiae
Mitisque cultu mens inerat viris
Et suada et urbani lepores,
Ingenuique salis venustas.

Digitized by Google

Hinc hinc perenni mansit honos choro
Gratas ferenti munera per vices,
Sueto graves sanare curas,
Fraude mala atque odiis carenti.

Constans eadem lege pium decus
Servetur, oro, seraque nos dies
Vestigiis patrum verendis
Firmiter inveniat morantes:

Sancita ut aris sacra fidelibus
Vincant sequentis tempora saeculi
Moremque ob antiquum retentum
Nos pariter celebrent nepotes,

Digitized by Google

Haec tu secundo nos, Charis! omine
Sperare cunctos hoc inbeas die,
Quos Bacchicum cernis liquorem
Rite Tibi hîc pateris dicantes.

Digitized by Google

ABRAHAMO WILLET

FELICITER.

Quina dum gaudes operae medentis
Arte felici tibi iam peracta
Lustra, WILLETI, sine me precari
Tempore fausto,

Quae nec invita Deus aure Paean
Audiat, blandae socius Camoenae,
Doctus aegrotos relevare et auspex
Vatibus idem.

Digitized by Google

Scit tibi curae pariter poëtas
Esse, quos fida bonus arte servas;
Scit tibi pridem placuisse vatum
Musica dona.

Musicae donum tibi ferre chordae
Me iuvat vincli memorem, quod arcte
Nos diu laeto sociavit ambos
Omine iunctos.

Firmet antiquum Deus augur omen,
Dum tibi multas precor ire luces,
Prosperum vitae retinente cursum
Sorte benigna.

Digitized by Google

Dent tibi longum Superi per aevum
Vtilem fessis, quod agis, medelam
Ferre et instantes vigilante cura
Pellere morbos.

Multa te salvo soboles parente
Et viro laudet vegeto marita;
Multa te natis genetrix receptis
Limine ab orci.

Nec tibi pectus nimis, o! fatiget
Mite, si docta neget arte vinci
Dura lex fati, petat et subinde
Parca tributum:

Digitized by Google

Sed tibi tristes animi dolores,
Sed tibi frontis nebulas severae
Grata, quae multas veniant in horas,
Otia pellant.

Otiis adsint comites libelli,
Qui salis multum, simul et leporis,
Qui leves lusus habeant iocantis
Munera Musae.

Iamque, si mentem magis hinc refectam
Mox iuvet doctis adhibere chartis,
Sint tibi praesto, teneantque multa
Dote legentem.

Digitized by Google

Sive sic malis, vehat otiantem
Te levi rheda cita vis equorum,
Ipse quos scite legis invidendos
Et regis acer.

Serior blandos ferat hora lusus,
Dum tuos inter vacuus moraris,
Aut sedes inter vacuus sodales,
Vina coronans.

Sit domus semper tibi laeta, salvis
Coniuge et natis; sit amica semper
Te fides iuxta, vigeas et omni
Tempore felix.

Digitized by Google

Me quidem, Phoebi radiis fruenti
Dum datur, fidum tibi crede semper,
Me tibi addictum, penitusque toto
Corde faventem.

d. 13 Martii
MDCCCXXXVIII.

Digitized by Google

AD

VILLAE MANPADICAE

ARBORES.

Manpadicae quercus aviumque habitacula fagi
Et domui tiliae tegmina grata meae,
Sub quibus, en! baculus mihi iam vestigia firmat,
Reptavi in vestro qui tener ante solo,
Tempore ut adspectus vester mihi dulcis in omni;
Innumera ut menti subiicit usque meae,
Quorum vos testes habuit mea vita bonorum;
Vos, quibus hoc stabiles contigit esse loco,

Digitized by Google

Hac velut in sacri nemoris statione locatis,
Hic mihi sit domino cum sacer usque locus.
Mater enim hîc primos rexit mihi sedula gressus,
Me comite hîc puero gestiit ire pater.
Hîc mecum flores legit soror, ut tibi, mater!
Esset dispositis exhilarare domum.
Hîc nobis parvae communis cura sororis
Materiam blandis praebuit officiis,
Cui tenerae geminas iungens, germane, capellas
Fidus eras placitae dux per amoena viae
Et pariter fratri mihi fidus adesse solebas
Prata per et silvas et fruticeta comes,
Seu mage venandi studium nos dulce tenebat,
Felicis studium seu magis aucupii.
Hîc quoque saepe suo me cara beavit amore,
Quae iuveni consors est mihi facta tori.

Digitized by Google

Tot mihi dilectos pars acta prior mihi vitae
Manpadici mecum carpere dona soli
Vidit et hac vestra, tiliae fagique, sub umbra
Mecum iucunda saepe quiete frui,
De quibus en! solus vobis nunc denique resto,
Praeterita haec recolens gaudia mente pia.
Testibus at vobis etiam mihi serior aetas
Multa hîc subiunxit gaudia praeteritis:
Iamque nova hîc florens circum me turba meorum
Pars numerosa patrem, parsque salutat avum,
Coniugii alterius tot pignora, totque prioris,
Queis nullum hîc matris deficit officium;
Fida quibus semper tu prospicis, optima coniux!
Propitius viduo quam mihi iunxit amor,
Cui nunc dulce meae recreare extrema senectae
Et fessum obsequio saepe levare tuo.

Digitized by Google

Sic patet hoc vobis, tiliae fagique, beatâ
Nunc quoque me vitae conditione frui;
Vosque ego suspiciens vel sole nitente, vel in vos
Luna ubi iam radios ingerit alma suos,
Sic magis atque magis prisca atque recentia sortis
Illa meae recolo gaudia mente pia,
Gratus et ab ramis altoque cacumine vestro
Mox oculos coelum versus et astra fero,
Atque ea dum specto, missis terrestribus, omnis
Erigor in superas mente animoque domos
Aethereaeque trahunt sensim hinc me gaudia vitae,
Queis paria hîc nullo percipienda loco;
Nec queror inde, seni quod iam non longa supersit
His ducenda mihi vita sub arboribus,
Sitque brevi, ut dicam: quercus fagique valete,
Et domui tiliae tegmina grata meae,

Digitized by Google

Tuque mihi, in terra dum degere fata tulerunt,
Dulcis mille modis cognita villa, vale!
Scilicet ad caros mihi tempus abire propinquos,
Ante quibus sedes haec tua culta fuit.
Sed tamen hos iuxta meliori sede receptus
Cum fuero (recipi sit mihi, dante Deo),
Villa haec, qui prius id genus excepere, meorum
Pluribus o! sedes sit maneatque, precor:
Sic erit, ut vestra procul ab radice securis
Impia sit, fagi, sit, tiliaeque, diu.

Effusum in villa Manpadica exacto
quintodecimo vitae meae lustro,
d. 15 *Iulii* MDCCCXLIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TYPIS C. A. SPIN ET FILII.